



M. Sangrichay

E. Bob lo



1

INCONSTANS FORTUNÆ CONSTANTIA.

In Persona Polycratis Samiorum Principis Funesto eventu

PROBATA.

Et

Sub Scenico apparatu,
Theatrales inter umbras
Luci publicæ.

Per

Nobilissimam Scholæ Pòësoos Juventutem
In Academia Culmensi.
Spectante magnorum Hospitum frequentia,
Pòëtico-moraliter

DEMONSTRATA.

Annô

Metra notanDo leCes, CLarè patet annVs In IstIs
Is tIbI, qVÔ LaCerant naCta theatra DeaM.

Mense

Quô Sol flammigeri conscendens terga Leonis,
Zodiacum Cœli circumobire solet.

Die,

Quam sibi Mercurius produxit sidere fausto
Quinta fuit. Lunæ prima sed ista fuit.



POSNANIÆ, Typîs ACADEMICIS.

Perillustri Zielinski.

In Nobile Stemma

CIVITATIS CULMENSIS
Metropolis in Prussia.



\- - - - - - - - circumſpice Montes. *Claud.*
In quibus auratam Proles Latonia fertur
Depoſuiſſe Lyram. - - - *Ovid. L:8. Metamorph.*
\- - Cœlo Capita alta inferentes. - *Virg. L. 3. Æneid.*
\- Dicas creviſſe in ſidera Montes. *Rutil.*
Pace ſubſultant juga; pace rident, *Sarbiev: Lib: 1. Lyric:*
Vulnera nulla timent. *Venant. Fort: Lib: 3.*
Nam munimen habent nullo quaſſabile ferrô *Luc:Lib: 5.*
\- - Tenent Montes per ſæcula Nomen. *Silius Lib: 3.*
O Fortunati nimium, multumq; beati! *Valer: Cato.*
Creſcite & in titulos ſurgite. - - - *Ovid.*

NOBILIBUS, & SPECTABILIBUS
DOMINIS
PRÆCONSULIBUS, CONSULIBUS.
Toti scilicet Inclyto
MAGISTRATUI,
&
HONORATÆ COMMUNITATI CIVITATIS CULMENSIS
In Prussia Metropolis,
Patronis Colendissimis.

EXiguam hanc, vilissimi mei tenuitatem Operis, magno Vestrûm Nomini, & Honori, non inconsultè consecrandam decrevi. Nobilissimi, & amplissimi Viri, Patroni Colendissimi. *Licèt equidem perbellè noverim, magnis solummodò magna, jure summo deberi: cùm & in aureas Supremorum Capitum Sphæras, non viliores Lapilli, sed pretiosi soleant Adamantes rotaris & Libanis elevata mole sua ipsa Cœli tangentibus Astra, non humiles Myricæ, ast excelsæ applicentur Cedris & Nobilioribus Pyrrhi annulis non rudiorem Driadum Silvestrium turbam, sed eruditam Laurigeri Parnassi Dearum, doctissimo suo cum Præside sit compertum inseri Cohortem. nihilominus tamen, illud quoq; me minimè latet, qualiter etiã vilia à pretiosioribus, minùs celsa à sublimioribus, ignota, à magis notioribus, singulariorem æstimationem, gloriam, eminentiorem, suiq; non obliterandam commendationẽ derivent, acquirant, & certò certiùs nanciscantur. Promeruerat utiquè, auro æquivalens pretium, quanquam ferreus ignipotentis Vulcani malleus, quòd olim eundem Rex Superûm Jupiter, aureo suo vertici adhærere sustinuerit, cùm videlicèt Numen Sapientiæ Minervam, sacro suo è cerebro repetitîs ferri vulnifici ictibûs, celeriùs excuti, produciq; vellet. Minutiora quantumvis humilioris sint folia Lauri, quia tamen illi sese appendunt arbori, quæ in summis, Polo contermini Parnassi plantata Culminibus viret, gaudetquè vocari Delphicorum Filia Montium; ideo non infimò pedum calcaneô proteruntur, sed in verticalis magnorum Pompejorũ coronamentum summitatis, diligentiùs quæruntur, gratiùs ac avidiùs in præmia operosarum frontium colliguntur, & celebrium Triumphatorum, Victoriosa vincire premereque tempora, non indignæ ab omnibus approbantur. Tetræ noctis fidelis Alumna, ipsisq; tantùm crassioribus squallidarum caliginũ alligata tenebris ales, nil luminis in lumine cernens, fors non adeò innotuisset luci publicæ, ni eandem Armigera Pallas, in*

ſuam clarè micantibûs criſtîs rutilantem Galeam, paſſa fuiſſet tranſvolâſſe, & tanquam gratam præ cæteris victimam, ad reſplendentes inextinctîs ignibûs Aras ſacrificari ſibimet permiſiſſet. Porro ambiguum non eſt, nil adeò humile abjectumvè eſſe, quod alienæ ad-ſtipulatum præſtâtiæ, nequeat exinde magis ut antè præſtare, ſive dignificari magnificentiùs, & novo adaugeri decore. Prothaſis eſt quod dixi; in opere meo Apodoſis manet, vile hoc & humile magnopereq; exiguũ ex ſe, ſed Veſtro Ampliſſimo Nobiliſſimi Viri *conſecratum*Nomini, *jam non infimum, jam non pene abjectum dici & eſſe meretur. Rectè ſibi adorator animus conſuluiſſe videtur, quòd in veſtrorum aurifodina Montiũ iſtius vilitatem opellæ appretiari quæſivit; quòd tenuem exiguæ Laurûs ſuæ ramuſculum, ut planè aridus & abjectus humi ſerpere non cenſeretur, his in Collibus Aſtrifero cognatis Olympo, plantari elegit; quòd inquam, hanc rudiorem Minervam nè nimis impolita, vel penitùs judicaretur indocta, per doctiſſimum Novicollem Parnaſſum in publicam Orbis lucem ex umbroſo Helicone ſuo tranſire voluit. Enimvero nihil non ſublime, nihil non doctâ conglomeratum arenâ, nihil non ſatis æſtimabile, Veſtris ineſſe Montibus obſervatur. Sat quidem excelsè Calpe & Abila ſublimantur, Apæninus & Othrys non mediocriter attolluntur in altum, Pelion & Oſſa ultra ſupremam àëris Regionem aſcendunt, ſed ſuperbè elatîs verticibûs ſuîs ſævam Jovi maximo Giganto-Machiam minitantur. Montes veſtri, alta, non elata ſublimitate turgidi, Superos Cœlorum pertingunt ad Orbes; minantur ruinam, ſed nefariis Legum trãſgreſſoribus, protervos & impios verò Numini rebellium Gigantum auſus (ſcelera malevolorum intelligo) gravi ſuo pondere obruturi. ex Athomis, tumuêre alii; iſti haud Athomæ eruditionis conflati pulvere, magna Quantitate virtutis, & non Pumilla proborum Studiorum mole, altiùs ac altiùs intumeſcunt. Componuntur cæteri ex vilioribus ſaxis & Lapidibus; Veſtros, tot ex aureis certum eſt coaleſcere mineralibus, quotquot Viros pretiô inæſtimabilium talentorum ditatos Urbs hæc Inclyta æſtimatori exponit oculo. Inter quos & nativîs Aborigenum Ceris, & hæreditariarũ Virtutum radiante nitore, primus relucere ſpectaris,* Nobilis, ac Spectabilis Domine JOANNES TRZCINSKI, Præconſul, & Præſidens æſtimatiſſime, *Vir omni laude & quovis elogio major, ſive enim primam Ortus Tui reſpexero lucem; hæc ſatis clara, & illuſtris cernitur, favente enim Nobiliore Lucina ex illa effulſeras Domo, quæ Regia Solis, facilè poſſet nuncupari. Sive pariter venerabundum oculum in coruſcam fulgentiſſimæ Probitatis Tuæ convertero claritatem, hæc nequaquã ſine ſpectatricis pupillæ cerni poteſt ſtupore. In Te quippè nitidiſſimo jubare benigna affabilitas; non elata Gravitas, comis modeſtia, zeloſa Pietas, matura Prudentia, manſveta Bonitas, aliaq; millena clariſſimarum virtutum Aſtra reſplendent lucidiſſimè. Phœbeam eſſe lucem hanc, vel ipſa* Sołtykoviana *probavit Aquila, quæ eandem in Te perſpicaciſſimo ſuæ Curiæ Ocello, luſtrîs propè quatuor irretortâ luſtravit pupillâ, quô temporis intervallô illius olim Illu-*

Illustrissimi Pontificum splendoris MATHIÆ SOŁTYK, *Episcopi Margaritanensis, Suffraganei, & Archidiaconi Culmensis, Præsuleo Lateri velut Zopyrus Dario, Ephæstio Alexandro, individuus adhærebas Joannes, Qui etiam Te dilectum Joannem, usq; in finem dilexit. Probavit insuper has luminosas dotes Tuas, & ipse Argô centoculô in adsciscendis sibi Consulibus circumspectior Magistratus Culmensis, cùm nuper vix Te pretiosam Virorum gemmam feliciter nactus fuerat, mox pulcherrimæ Senatus sui Nobilissimi inseruit Coronæ, & brevì statim, primo quia Præsidentiali, fecit esse eminentem honore, quo non minùs adornatis, quàm ita eundem Te ipso adornas, ceu esses aureo in Diademate Adamas præstantissimus. Plura de Te scribenda forent si & Tua non vetaret modestia, & ego nunc Laudatorem magis, quàm Adoratorem agerem; unde cætera Annulô Patrii Corvi Tui sub Rosa silentii servanda tantisper consigno, ea nisi publicando vota: ut se Tibi constàtius quàm Polycrati hac aurea Tui Annuli Sphærâ, desponset Fortuna, quæ etiam lubrica non poterit esse, dum Soleæ Tuæ insistet Avitæ. Succedis ordine secundus, sed primis nulla ratione impar,* Nobilis, ac Spectabilis Domine PETRE JUSTYNSKI, Præconsul, & Burgrabie dignissime, *solidissima Virtutum Petra, exactissimum Proborum Prototypon morum. Miramur in Te elevatum de rebus altissimis Judicium, cernimus non sine stupore, quomodo os Justi meditatur Sapientiam, audimus Svadam Tullianô animatam Entheô, cognoscimus aureo Tuo in Capite probatæ Eruditionis succum & medullam vigere. Pares Tui humeri ad sustendam Burgrabii negotii molem, quam toties cum gloria Tui infractus portâsti Alcides. Si pertractes sensuum politicorũ discursus, ita illos emungis, tanquam in quovis rerum statu versatus peroptimè fores, si quid de Jure decidis, ita decidis, acsi ipse decideret Justinianus. Cætera quæ Te laudabilem reddunt, ampliori Encomiastarum stylo fusiùs enarranda relinquo, ego nisi tenuem calamũ ad vota ex Tabulâ cordis hanc in pagellam transcribenda moveo, exoptans: ut aureis Valis Domestici Tui Alitis volites magnorum per ora Virorum, & pennîs illius subscribat se Tibi Fortuna, nunquam evolaturam è laribus Tuis. Tuorum tandem fragrantissimorum curro in odorem Liliorum, imò celeriùs Veneratrice convolo penna, non periodi nec paginæ, sed amplioris styli, & Codicis dignum objectum,* Nobilis, ac Spectabilis Domine JOANNES CHRYSOSTOME GWOZDZIEWSKI, Præconsul, & Senior Pater, Notarie Apostolice S. R. M. Secretarie, Academiæ Culmensis. *continua fere serie ab Annis sexdecem Provisor dignissime. In Te unum gratiosum Joannem omnes videntur conspirâsse Gratiæ in quo, veluti splendidiores in Phœbo Radii, excellentes Nobilioris animi naturæq; dotes, cunctis ad stuporem elucescunt. Nulla erit Hyperbole, alias superlationis Figura, si de Te vox clamantis altiùs humilem dicendi extollam vocem. divulgando; quòd ea universim, quæ alios partitim efficiunt divisa beatos, tu collecta tenes. Ipsa aurei oris loquela, manifestũ Te facit, quòd sit Tuum Bibliotheca Caput, in quo vix non omniũ gravissi-*

vissimorum Authorum volumina inveniri possent. Dulcissimum Tecum colloquium, quod svavi gratia oris, gratiosus attemperas Joannes, quid quid enim loqueris, aurô pretiosiore notandū. quidquid agis, cedro sculpendum, quidquid scribis, Lauro doctiore coronandum. Parit Tibi non parvam Portionem laudis, comptissima animi sedati lenitas, sermonis gravitas, efficacium verborum pondus, & Responsorum Sapientia. Venerabatur Te olim suum Discipulum, Schola Regni Universitas Cracoviensis, ubi de Codice non modicè proficiendo, magnis Hironibus non minor videbaris Achilles; nunc Culmensis Academia vigilantissimum Provisorē adorat. cui non aliter prospicis, quàm Cœli oculus sublunari Mundo; unde etiam specialiter Tuo gratam Nomini scias semper futuram. Trahis in Te omnium corda & affectus, tanquam primum Mobile Cœlestes Sphæras, unicuiq; Justitiam & veritatem, diligenti, indispensabilis quædam Te diligendi instat necessitas. Agis Tu pro omnium desideriis quod est opportunum, pro multorum expectatione, quod est æquum, pro Honore Nobilissimi Magistratus, *quod laudatissimum, pro totius emolumento Civitatis quod vides utilissimum. Dicerem majora, ni mihi particulariter strictum imposuisses silentium, scriberem ampliora, ni meo calamo in Tua evolare Elogia denegâsses, mavis enim laudanda agere quàm laudari. Ergo jam Tacitum agam, ne & adulationis notâ (à qua procul est Candor Academicus) invida probissimis tuis rectefactis, ausit mihi impingere, improborum malevolentia. Votorum tantummodo ex flosculis obligatæ gratitudinis necto coronam eamq; tuis Liliis, quæ in-*tAMINATUM explicant candorem. (a) *insero; apprecando: ut nunquā arefacienda Fortunæ successus perenniter in Domo Tua crescant, & florescant. Tuq; si non æternus, saltim vivas longævus, cui etiam de meis multa addat Jupiter Annis. Ego memor favorum,*

Semper inoblita repetam Tua munera mente
Et meaMe tellus audiet esse tuum. (b)

In distans agere videtur Adorator calamus, cùm ad Te corpore remotū, venerabundus transvolat Nobilis, ac Spectabilis Domine ANDREA LEPNER, Medicinæ Doctor, *Senior Consul Culmensis. Non Te tamē totaliter absentem, vel ex inde asserere licet, quod sis in affectibus dignissimorum Concivium præsentissimus. volitat Nomen Tuum per Ora Laudatoris populi, & singulari Encomiô celebratur, sicq; facilè ignotis etiam probè nosceris, veluti palam sub oculis esses. Magna est Inclytæ Civitati gloria, quod Te parem Æsculapio, non minorem Hippocrate, nacta fuerit Galenum, sed & hinc non postrema eidem accedit gloria, quod scias rectè Principibus placuisse Viris. Erigit illa altiùs è Montibus Caput spectando diligentiùs, quam primum ipsi desideratissimus reverteris Incola, Quem licèt Magnatum obsequiis continuum adesse cupiat, sibi tamen non deesse vellet, & summè gauderet, ita sinu suo præsentem complecti, ut absentem sincero complectitur corde, cui antequā vocaliùs facie ad faciem Affectus mei propensionem locutus fuero, hæc tantisper votiva precamina interprete cordis calamo in silentio loquor:* *ut*

(a) Iuven. (b) Ovid. Lib. I. Trist.

ut qui aliorum symptomatibus efficaciter mederis, Tu ipse nullas malignantis Fortunæ experiaris affectiones, verùm supra quasvis tàm sortis, quàm vitæ ægritudines, ceu quondam Æsculapius, stes incolumis & longævus. Ad Te modò minùs-cultæ meæ Eloquentiæ devolvitur causa, Nobilis, ac Spectabilis Domine ANTONI CIELICZKOWSKI, Cōsul, & Judex Civilis, Academiæ nostræ Provisor Colendissime. *Vellem ego sub Domestico Tuo labaro Provisorali Nomini & Honori dexteriùs militare, sed mihi & verborum Copiæ, & auctiores periodorum Legiones desunt. Non instruo proinde Phalerati sermonis Aciem, ne vel tuam videar magìs impugnare modestiam, vel ipse inermis magnanimitate Tua obruar, & prosternar; Tu es invictus Achilles, Tu Hercules insuperabilis, cùm licèt ingentem publicorum Urbis negotiorum non rarò toleres molem, nunquā tamen defatigari videris Portas & nunc æquam Divæ Themidis bilancem, adèò moderatè s ut in nullam à recto præponderet partem, unicè studens, reddere unicuique quod suum est. Vive itaq; in præsidium Urbis, quàm diutissimè sisq; semper felicissim9 ex omnibus adversis Triumphator, & sub expanso Labaro,:*

Te Fortuna colat Tibi gloria militet omnis.

Et jam fortè debile, tenuissimi mei penitus hic hebesceret acumen, ni mihi subtilis Patriarum Tuarum Sagittarum porrigeretur acies, Nobilis, ac Spectabilis Domine PETRE DOMINICE CZATTER, Consul plurimum venerande S. R. M. Secretarie, *Vir, Cui vix habet Orbis, & Specie, & factis, & probitate parem. Tu rectegestorum amussis, perfectæ eruditionis Idea, singulare Paterni Soli ornamentum; & ut non mutatîs verbîs, ea quæ meis non rarò insonuerunt auribus fideliter proferam: Tu Civitatis Gemma, ac sine felle columba. Omnibus affabilis, & nemini non jucundus remanes, Et nisi Tu vitiis aspera Petra Petrus, seu clarius! Cuivis sceleri lapis, offensionis existis Constat satis evidēter, quomodo statim à teneris miscueras præcepta scientiarum, Divinarnam & in illis bene doctus, & in his es optimè eruditus, nec ulla Ars magìs Tibi placet, Arte placendi DEO. Confluxit in Te quidquid in Trajanis Mansvetudinis, in Tito bonitatis, in Vespasiano benevolentiæ, prisca unquā observavit ætas, ut sic Universalissimū præcellentissimarum virtutum compendium fieres. Magna Tibi inest benignitas, per quam minaci quenquam.*

lædere vultu

Semper & incauta ſmetuis violare figura. (a)

Reticeo hic enixam tuam solicitudinem, circa Bonum Commune Inclytæ Metropolis, cujus majori nisu, quàm propria commoda procurare svevisti, totusq; Te in ejus soles exviscerare Honorem. Sufficiat tantisper hæc innuisse breviter, quæ tali apprecatione concludo: ut præacutis sagittarum telis, constans Fortuna in Triumphum cedat, & prout illis modò virtus meta manet, *sic post sera fata,* sit Tibi MetaPolus. *Vivificas agonizantis jam Eloquentiæ spiritus cordis tui vigore, cùm* instas laus (b) Nobilis, ac Spectabilis Domine STANISLAE GRYLEWICZ,

(a) S. Paulin9 de Anson. (b) Anagr.

Consul, & Camerarie æstimatissime, *cujus æstimationem si perpendã, multum appretianda. rectitudinem animi si respiciam, præstantissima. Pietatem affectumq;* Cordis *si spectem, flagrans, & sine fuco eminet: Adauxisti multoties insignem gloriam huic Metropoli, rerum gestarum magnitudine, & inde est, quod Tibi sæpe sæpius magna Ejus committũtur munera, nosceris enim non exiguo magnanimæ fortitudinis pollere robore, paratum cor tuum etiam propriam dimittere animam, ut Patriã suam dilectissimam feliciter animet. Eruditionem & scientiam Tuam breviori non metior stylo, facilè namq; eandem, summã esse unusquisq; cognoscere potest, si sciat ex Schola Regni tum per Antecessores jure hæreditario transfusam tibi esse, tum per Te ipsum ibidem non in modica Quantitate comparatam. Cætera in corde Tuo Avito servo, hæc nisi ex intimis affectus mei depromo medullis: fiat tibi* secundum Cor tuum, *alias & vivacissimè incolumitatis, & nunquàm morituræ famæ animeris Entheo. Grandem tuis meritis injuriam Scriptor Calamus videretur facere, si Avitum præteriret* Krzywda, *& Atram non funderet sepiam, ut Soleæ, quæ lumina Solis habet, vel penes opposita splendor magìs elucescat,* Nobilis, ac Spectabilis Domine SIMON DANOWSKI, Consul, & Judex Suburbane. *Non minus Tu Claritate nativa, quàm illustribùs virtutum refulges Radiis. Enitescunt in Te pulchro fœdere junctæ Pietas & Sapientia, affabilitas & prudentia, morũ comitas, & sine fastu gravitas, clemens Justitia, & justa Clementia, ut pietate Numa, Legum Statutorumq; notitiâ Lycurgus, benignitate Vespasianus, Prudentiâ Cato, Consiliô Consus, Vir Arte, & Marte potens, sive ex utroq; Cæsar, jure meritò nomineris. Cui hæc excito vota: ut Patriæ innixus Soleæ etiam in Lubrico Fortunæ nullum lapsum agnoscas, & benedicente Avita Cruce, bene & feliciter procedas per lacteam meritorum viam, ad culmen Clarifici honoris non atra fatorum caligine obscurandus. Refocillas etiam gratissimo tuarum svaveolentium Rosarum odore, & perjucanda virtutum fragrantiâ, jam pene elangvidam Eloquentiam meam,* Nobilis, ac Spectabilis Domine JOANNES LOKIERT, Consul Culmensis, *cujus enixam circa Bonum Commune solicitudinem, summam in rebus agendis activitatem, & prudentiam non innuo, Solem enim in Meridionali horoscopantem auge, indigitare studerem, si ea quibùs palam emines, manifestiùs indicare vellem, affectus nisi mei sinceritatem per hæc vota demonstro: ut fortunatissimìs vernes & floreas successibùs, quàm diutissimè. Pariter & Tibi* Spectabilis Domine IGNATI RZĄDZINSKI, Notariè Culmensis Dignissime, *(qui Gallico sat optime præstans idiomate Patriæ Tuæ Gratus totum Te illi impendis in obsequia) eliquati, frontis operosæ, sudores, in pretiosas Honoris, & Fortunæ concrescant Gemmas Hìc jam procul dubio extingverentur oratoria lumina, si illis à trinis tuis sideribus nova lux non accederet,* Spectabilis Domine CASIMIRE HINC, os & Caput Honoratæ Communitatis, *quæ tantum ferè Decus ex Te sibi vendicat, quantum ex Gemma annulus, ex purpura rosa, ex candore*

Li-

Lilium, Cœlum ex Stellis coruſcantibus. Præcedis ipſi virtuoſis progreſſibûs velut Princeps Caſimirus, Anteſignanus glorioſiſſimus, præluces claro eximiæ eruditionis jubare, ceu Phæbus Splendidiſſimus, primus decertas pro integritate Boni Communis, tanquam Dux Strenuiſſimus, in quo dum totam Honoratam communitatem veneror, omnibus digniſſimis Civibus Copioſam Cœleſtibus ab Aſtris, omnium bonorum exopto influentiam. Habeant cæteri, vel exinde magnitudinem gloriæ ſuæ, quod & Orator non habet pares illis laudes, & anguſtia hujus paginæ, ampla eorum præconia capere non poſſet, in qua hæc tantùm pro Coronide Votorum exarantur,: ut ſinguli Inclytæ Metropolis Indigenæ vivatis felices, & longævi, inconſtantiam Fortunæ in immobilibus veſtris Collibus, aut adverſum ex alto præcipitium, ſive caſus fatales nunquam experiamini. Creſcite altiùs ac Altiùs, veluti in Libano Cedri, unà cum Palmitibus tenellis dilectiſſima nempe Prole Veſtra, donec Annîs, & virtutibûs elevatiſſimi, ſtelligerum attingatis Olympum, Et hæc quæ obligatio exprimere demandavit, Gratitudo inſcribere perſvaſit, gratò animò acceptare non dedignemini, poſcit, orat, & precatur.

Nominis Veſtri

Cultor, & Æſtimator

Devinctiſſimus.

M. Thomas Cantius PŁECKI, in Alma Univerſitate Cracovienſi Philoſophiæ Doctor, in Academia Culmenſi Pöeſeos Profeſſor.

Author Operis.

ANTIPROLOGUS.

Supremus Deorum Moderator Jupiter, excelsas Orbis sublunaris revidens Altitudines, postquam inter eas Olympo non imparem, ampliorem Parnasśó Novicollem Culmensem adverteret, remonstrat Apollini, quomodò multò commodior, & magis competentior, Novenario Musarum numero, sit Novicollis, quàm Bicollis Mons Parnassius, simulq; persvadet, ut ille sede priore relicta sese in Novicollem conferat, quibus diligentiùs intra se perpensîs Rector Parnassi Apollo, summas pro tàm utilissimo sibi consilio refert Jovi gratias, moxq; in Novicollem transmigrat, ubi Musæ magnificentiorem sedem & majorem propter se amplitudinem cernentes, Jovem Optimum Maximũ humiliter precantur; ut Colles quos recenter occupârunt, nullîs ab inde malignantium fatorum fulminibûs permittat impeti. Quarũ submissæ postulationi benignissimè annuendo gratiosus Jupiter, promittit locum istum Phæbo Musisq; innocuis sacrum, specialiùs abhinc protegendum, & Colles novennos altiùs, ac altiùs elevandos. Insuper benigniores fausto suo sidere spondet se loco huic causaturum influxus, ut hìc perpetuò omnigenæ prosperitatis aurea messis producatur.

CHORUS MUSARUM

O! Deorum Supernorum,
Jupiter fortissime,
Celsum Polum atq; solum
Regens prudentissimè,
Ab hac mole, quam sub sole
Nunc nobis concesseras,
Tolle mortes, & fac sortes
Hìc vigere prosperas.
Es benignus, ergo pignus
Benignæ Clementiæ,
Cum favore ampliore
Magnæ Providentiæ
Illud præsta: nè funesta
Adversorum fulmina
Terant Colles, quorũ molles
Musæ, tenent Culmina.

Pulsat Cœlos nostrum melos,
Ut per motum influant
Hos in Montes, atq; Fontes
Illorum, gemmas pluant.
Pluant rorem largiorem,
Ne messes decipiant
Sortis. Plenas aurô venas
Sed Montes concipiant.
Ista vota, Cohors tota,
Non jam Pindi bicollis
Camænarum; ast Dearum
Parnassi Novicollis,
Ore fatur, & precatur
Insuper summum Jovem:
Semper crescant & virescant
Prædicti Montes novem.

ARCU-

ARGUMENTUM.

POlycrates, qui regnavit in Samo Insula, opibus & felicitate adeò clarus insignisq; fuerat, ut quoad vixit, non tam Fortunæ Alumnus, quàm partus diceretur. Hic ut aliquid adversitatis habuisse videretur, annulum maximi pretii summèq; sibi æstimatum projecit in mare, quem tamen Cocus ejus redinvenit in pisce. Sed Mors infamis & ærumnosa docuit neminē ante obitum meritò dici posse felicem. Ad postremum enim ab Oronte Darii Præfecto captus, & in monte excelso Cruci fuit affixus. Hæc sunt genuina Strab: Lib: 14. & Herodot: Lib: 3. Cætera verò quæ huic Historiæ adjiciũtur, rationabilis fictio (Pòëtis consveta & licita, juxta illud Horatii Libro de Arte Pòëtica ad Pisones: *Pictoribus atq; Pòëtis Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas*) suggessit; pro majori nempe rei istius expressione meliorīq; Actus Drammatici decoramine.

PROLOGUS.

INstabiles Orbis maleblandi nôsse favores,
Nôsse dolorificos quos struit ipse dolos.
Fortunæq; vices variabilis, & bona fluxa
Sortis Mundanæ (credite) nôsse juvat.
Nam leviùs lædit quidquid prænoscitur ante,
Et prævisa, minùs damna nocere solent.
Hinc igitur benè nôsse juvat, quàm lubrica, quàmvè
Sint prænestinæ, dona caduca Deæ.
Quæ nunc læta manet, nunc vultus sumit acerbos,
Et nunquam constans in levitate sua est.
Passibûs ambiguîs quæ sæpe volubilis errat,
Ludit & illudit, recta, nec æqua satis.
Illi nulla fides. quo proficit, officit ore,
Admiscens placidis certa venena labris.
Cum risu lachrymas, & fel cum melle propinat,
Mendaci specie nata, dolisq; frui,
Oscula vix præbet, mox blando fulminat ore
Sic malè deceptum vulgus amæna premit.
Clariùs inconstans ejus constantia cunctis,
Facto constabit, provenietq; brevi.
In Samiæ Gentis Regnante Polycrate, cujus
Exitiosa modò pandere damna libet.

Drammatis in forma super hocce patente Theatro
Sub Scenis tragicis, metra ligante stylo.
Ad quas cernendas, oculos cum pectore grato
Hospes magne para; Musa tragæda petit.

ACTUS I.

SCENA I.

DEa Fortuna stipata comitatu suo utì Honorino, Reginâ Pecuniâ, Cornucopiês, ac à longè assistente Occasione & Casu sive Vicissitudine, aureâ in Theatrum provehitur rotâ, ubi amplissimum suum in res humanas jactans imperium, Dominam se Mundi deprædicat, recensetq́, quomodò sint felices & beati, qui sibi famulantur, quod idem Famæ ebuccinare demandat.

Fortuna.

ADsum multipotens. Jovis adsum Filia summi;
Ille Deam celerem Cœlo me misit ab alto,
Ut bene res hominum proprio super axe rotarem.
Adsum, quæ præsum versandis sortibus Orbis.
Circulus iste teres talem me denotat esse
Illuc sæpe vehens, ubi nunquam speror haberi.
Hoc ego curriculo successus volvo, revolvo,
Hac, licèt exiguâ sphærâ, complector id omne,
Quod complere potest animos, & fervida vota
Pectoris humani. Me quisq; favente beatus
Quisq; manet felix, & nullius indiget unquam.
Adsum Largitrix Dispensatrixq; bonorum.
Se non solus Honor confert, neq; Copia Cornu
Tumq; Pecunia. Casus & est Occasio per me.
Si placet; extollo. si non; de sedibus altis
Dejicio facilè mox imis summa coæquans.
Si libet; exhilaro. si non; contristo molestè
Atq; dolore premo. miscens adversa secundis.
Siq; velim; locupleto nimis. si non; nimis orbo.
Nunc his, nunc aliis, apparens fronte serena.
Me venerantur Reges, Purpureiq; Tyranni
Me metuunt. mihi cunctum vulgus, & agmina plebis
Thura cremant, holocausta litant, votisq; fatigant.
Sufficiat narrare brevi, quod dicere fas est:
Adsum totius Dominatrix maxima Terræ,
Et Mundi Regina potens. De Nomine si quis
Ambiguus quærit? sciat & non ambigat ultra,
Quòd Fortuna vocor veniq; beare Clientes;
Munificas cum Sole manus sparsura per Orbem.
Nunc ea quæ breviter dixi, tu Fama fidelis

Cun-

Cùncta refer resonesq; tubâ per Compita Mundi.
Huc citò conveniant, cupiunt qui vivere faustè,
Devoveant sese nobis; ita sorte perenni
Accumulabuntur. sic terq; quaterq; beati
Evadent per nos. Resones, resones id ubiq;;
Fama loquax resones, mandat Fortuna Beatrix.

Fama.

QUod mihi demandas, faciam. lituoq; strepente,
Mox resonabo tuum nomen per Compita Mundi.
Dicam Fortunam venisse beare Clientes,
Quàmvé benigna suis Cultoribus, omnia dicam.

Tubâ canit:

ATtendas Orbis! Mortales discite cuncti,
Quòd referam vobis magnarum nuncia Rerum:
En Fortuna potens Prænestis Diva celebris,
Cujus ab arbitrio pendet variatio Casûs,
Nunc stetit in terris longum clamata per ævum.
Hæc Dea, non fluxis opibûs ditare Clientes,
Qui sibi devoti fuerint, promittit abundè,
Perpetuisq; bonis cumulari spondet eosdem.
Vos ergo cupidi modò sortis in Orbe beatæ
Fortunæ, Mundi Dominæ, date corda fidemq;.
Non erit illa carens respectu, sit licèt orba
Luminibûs Frontis. Rota Divæ præpete cursu
Volvetur cuivis ad nutus, prospera quæq;
Advolvens. Hæc sunt resonantia Classica Famæ.

SCENA II.

AUditô Famæ classicô, accurrunt Polycrates, Belisarius, Timotheus, Cræsus, & alii. Sed non deprehensâ Deâ. utpote quæ loco diu stare nescit in uno. Delphos petunt, & sciscitantur de illa oracula Phœbi, acceptôq; Responsô pergunt ulterius.

Polycra: Postquam Fama volans nostras pulsaverat aures,
Insolitum referens rumorem. Nempe quòd illa
Multipotens Dea, quæ Cultorum vota secundat,
Orbe suo volucri, nunc se devexit in Orbem,
Hic sibi devotos locupletatura Sodales.
Protinus ipsimet Cultum præstare volentes,
Ut citiùs sinat inde sua nos sorte beari,
Movimus hùc passus. sed forsan accidit error
In cursu nostro, quòd non reperimus eandem
Hocce loco terræ. *Bel.* Potius nos Fama fefellit,
Quæ plerumq; solet, pro veris falsa referre.
Timoth. Famam non dubito mendacem sæpe fuisse,

Hæc tamen in magnis nescit mendacia rebus.
Crediderim, quia fortè volunt se Numina quæri.
Constat enim certò, quòd ament pretiosa latere.
Sic Fortuna latens se se non ingeret ipsam,
Sed quæsita diu tandem prodibit ad usus
Nostros. *Cræs.* Hoc & ego non dissonus approbo dictum,
Æquè concludens, alio quòd abire necessè,
Aurea Munificæ quæsitum munera Divæ;
Mox igitur capiamus iter. *Polycr.* Sed quæ via nobis?
Semita quæ ductrix? quis trames cursibus inde
Arripiendus erit? quorsum properare juvabit?
Herculis hìc bivium, res hìc nimis ardua restat.
Unde resolvendus nodus priùs *Beli.* Ecce resolvo:
Quò nos fata trahent pergamus. *Timo:* Cæcus hic esset
Impetus, at potius stellati Numina Cœli
Supplicibûs votîs venerando, ritè precemur,
Ut moveant nostros gressus quò? & quâ sit eundum.

Cræs. Non contravenio dictis, tamen audeo fari:
Re super hac, dubiis, Oracula pandat Apollo,
Consiliumq; ferat. placet hæc sententia vobis?

Polyc: Quippe placet. *Bel* Placet. *Tim.* Ista placet, meritòq; tenēda

Cræs: Ergo pergendum. *Polyc* Socii jam jam mora desit,
Gressibus intentis, Delphos, ubi regnat Apollo
Vadamus, Tripodis Responsa audire volentes.

Polycr: Tu qui mente sacra præsentia, prisca, futura.
Cognoscis penetrans, o Vates maxime Vatum!
Respice submissos Cultores, atq; benignîs
Auribûs excipias, voces & vota precantûm,
Expetimus, tua certa velis Oracula ferre;
Num desideriis nostris Fortuna favebit?

Chorus Musarum.

1. *Tu Qui per sæcula*
Pandis Oracula,
Adveni,
Apollo Delphice
Subveni,
Vates mirifice
Adveni, Subveni.
Et effata, Profer grata
Hisce Viris fortibus.

2. *Num Fortunæ bonîs*
Potientur donîs,
Dicito,
Ad suaquè vota;
An cito?
Curret Divæ Rota,
Dicito, An citò,
Exoptatis, Et beatîs
Ditabuntur sortibûs?

Apollo. Fatidicum quisquis Tripodem reverenter adorat,
Ambiguus, dubiusq; rei non inde recedit,
Et vos ite Viri. vobis Fortuna favores
Conferet innumeros. mox invenietis eandem,

Si Duce Mercurio quæretis Numen Amicum.
Felices eritis; tamen id meminiſſe velitis;
Quòd Mater Fortuna, brevi fit ſæva Noverca.
Talia prædicens Reſponſa, dat Augur Apollo.

Polyc: Perpetuas grates tibi reddimus o bone Vates!
His pro Reſponſis, memori quæ mente colemus
Tûi non immemores nunc ibimus, ibimus ultra,
Quò nos deducet Cyllenius, ibimus omnes.

Merc: Non dubitate Viri quærentes munera ſortis,
Me, Caduciferum Præcurſorem, fore vobis
Curſibus in cæptis prodromum. Nam quis quis honorat
Numen Apollineum, rogitans Oracula Phæbi,
Semper me recipit Socium, Comitemq; fidelem.

SCENA III.

INventâ Deâ Fortunâ ductu Mercurii, ſtupeſiunt omnes, advertendo qualiter hæc mirîs ſuîs modîs, Marium ab Aratro ad Conſulares Faſces, Agathoclem, ex officina Figuli ab argillaceo ſolo ad Solium Regale, Juſtinum, à Paſtoritio baculo, ad ſceptrum Imperiale promovet. hinc ſe ei mancipant, quæ pariter felices rerum ſucceſſus, triumphos, nummorum abundantiam, & ſimilia per ſe ipſis conciliandâ pollicetur. Inſuper Polycratem præ cæteris ſibi acceptatũ in Templum Præneſtinum (quò jam ipſa provolvitur) vocat.

Fort. Me penes imperium Mundanum, quis neget eſſe?
Quis non agnoſcat regimen mihi, juſq; ſupremum
Res ſuper humanas, quibûs, ut placet; utor, abutor;
Sum Fortuna; quaſi una ferens ſors plurima dona.
Praxis id efferet, ac eventus plura docebit.
Cernitis hunc Marium ſulcantem vomere terram?
En qui rura colit, mox mox hic ab Urbe coletur.
Linque jugum, dimitte boves & deſere ſtivam,
Perge celer mecum, fies de paupere dives,
Vir Romanus eris, Figulo Genitore create
O Agathocles! cænô oneratas, ablue dextras,
Abjicias abjecta procul pannucia, namq;
Murice purpureo, mox exornaberis à me
In manibuſq; tuis rutilabunt aurea ſceptra.
Tu Juſtine, gregis Paſtor, pecoriſq; Magiſter,
Jam baculum quô fulciris, poſt terga remitte.
Imperii Clavum pro clava ſume gregali,
Cæſar eris, qui Paſtor eras, ſic ſorte volente.
En quàm pulchra cohors! imò Frons prima Senatûs
Hic populus, quem noſtra manus provexit in altum.
Cernite mortales miretur & integer Orbis.
Quàm mihi fortis ineſt vis, & quàm magna poteſtas.

Qui ducebat heri Marius per prata juvencos,
Atq; gravem durô terram vertebat aratrô,
Hic hodie magnis dat jura Quiritibus ecce.
Effingens ollas Agathocles, splendet ùt ille
Fulgidiore luto cui finxit viscera Titan.
Felix est totus Justino Principe Mundus,
Cujus Cæsareâ præcingi tempora vittâ
Feci, ne se se jam cingat gramine vili;
Quòd Fortuna ratum faciam, quis dicere falsum
Audeat? & tantæ suffragia vincere sortis?

Poly. Quæ rerum facies! & quali digna tabella,
O Dea! quidquid agis, nil cernitur absq; stupore.
Rectè multipotens Dominatrix diceris Orbis.
Hæc facis aptè, quæ fieri vix posse putantur.
Si quoq; nos facias non impare sorte potiri.

Fort. Vultis id? ergo fidem juretis & este Clientes
Fortunæ Dominæ. *Poly:* Exequimur tua jussa libenter.
Et spondemus idem, nisi tu concede favores,
Respectuq; tuo Famulis constanter adesto.

Fort. Nunquàm non deero, nunquàm non fida manebo
Vobis, o! noviter mihi dedita turba Clientum.
Faustos successus aliis, aliisq; Trophæa
Hostibus ex sævis, sine multa cæde suorum,
Divitias aliis, nummos, & cara talenta
Conciliabo brevi. Porro: quæ quis volet, illa
Hac constante Rotâ, se volvent ad sua vota.
Qui mihi præ cunctis addictior esse videris
Esq; Polycratis, insignitus Nomine blando.
Quò provolvor ego, tu currito meq; sequaris.

SCENA IV.

Copiosîs munerati donîs Fortunæ Cultores, gloriantur quòd ejus beneficio omnia faustè ad vota sua experiantur fluere. Belisarius quidem quòd facilè Victrices reportet de hostibus palmas, Timotheus quòd Regna & Urbes felicissimè aucupetur, Cræsus quòd immensîs affluat opibûs. pro quibus Fortunæ gratiis non ingratos se Victuros spondent.

Belisa. Etsi millenîs resonent mihi vocibûs ora,
Multifidusq; ruat centum per pectora Phæbus,
Si totidem lingvas numerem Belisarius unus,
Quot lingvæ Coeli numerantur. non tamen illa
Ritè recenserem, quæ pectus gaudia lambunt.
Non ita Dardaniô gavisus Atrida triumphô,
Nec sic errore exacto, lætatus Ulysses.
Tantæ lætitiæ peramæni cordis, abundam

Materiam tribuit Victoria, tumq; trophæa,
Quæ mihi conciliat Fortuna ex hoste cruento.
Fulgura crebra micant, & plumbi plurima grando
Pervolitat, Mortesq; ferit, me non ferit, imò
Vix venio, vinco; video vix, illicò sterno
Castra Ducum, segetem Clypeatam sterno Virorum,
Scutiferas legiones, Armigerasq; Catervas
Funditus ex acie fundo. *Timoth.* Mihi Regna perampla
Et Regiones, & Districtus Orbis, & Urbes,
Sese subjiciunt, ita prosperitate favente
Vivo Triumphator Mundi, sinè cæde celebris.

Cræs. Aureus ipse stylus vilescit, verba valorem,
Gemmea sint quamvis, amittunt, hìc, ubi quidquam
Narrandum venit ore meo, de divite vena,
Ac de congerie nummorum, quos mihi largè
Comparat hæc Dea, thesauros æraria complens.
Nummus emit vicos, nummus conservat Amicos.
Unde licet populus me sibilet at mihi plaudo
Ipse Domi, simul ac nummos contemplor in Arca.
Divitis auditur cûi non opulentia Cræsi?
Me quis adest, vel adesse potest locupletior unquam?
Sunt mihi, sunt nummi; Dea quos Fortuna paravit,
Nunc & adhuc parat, augendo sua dona sat amplè.

Beli. Eja mei Socii! dum munera tanta tenemus
Largitricis opum, Largitricisq; triumphi,
Gratia nos gratis data, stringat vivere gratè
Et faciant benefacta Deæ meminisse datorum,
Nam natura jubet pro donis reddere grates.

Timo: Ingrati nunquam vivemus. *Cræs.* semper habebit
Gratos hæc animos, cujus nos gratia replet.

Bel. Ergo vadamus Fortunæ thura daturi.

SCENA V.

POlycrates, Duce Mercurio venit in Templum Fortunæ, & ei cum Flaminibus sacrificat, quæ adeò Polycratem devotum sibi videns, Principatum apud Samios per se illi efficiendum appromittit; utq; de sua semper inviolatè servanda constantia reddat Eum certiorē, æviternæ fidelitatis Hieroglyphicū annulum offert Polycrati, hocq; illum sibi desponsat. qui circa gratiarum actionem pro tantorum contestatione respectuum, lætos jubet institui cantus.

Polyc: En celer advenio celerem te Diva sequendo,
Advenio retinens jussum alta mente repôstum.
Et tibi sacrifico veluti devotus Alumnus
Quid me vis fieri Plasmatrix fortis amicæ?

Fac, licèt immeritum, sed ab inde mérere volentem.
Nam mihi sola places, & digna videris amari.
Fort. Pondero quem nostris Aris nunc reddis honorem,
Sinceramq; Tui cum votis pondero mentem
Erga me Dominam; cujus te noveris esse
Indigenam cordis, primumq; favore Clientem.
Non levis hic sermo, quem mox documenta probabunt,
Scilicet ipsa feram saturatas murice vestes;
Quod facies, faciam; quò perges, ipsa præibo.
Hæc Rota te in Solium Samiorum provehet altum
Summus eris Princeps, tribuam tibi munera summa,
Semper ero vultu ridens Fortùna sereno.
Te nec divitior, nec erit felicior alter.
Perpetuò Dea fida tibi stabilisq; manebo.
Annulus æternam me denotat iste rotundus,
Quô mihi te desponso perenniter intime Consors.
Sis memor ergo mei contra memor ipsa manebo
Semper, crede, Tui. *Polycr.* Nunquam Regina negabo
Te nimis effusam; nec me meminisse pigebit,
Dum memor ipsa mei, dum spiritus hos reget artus.
Hic honor, hoc decus, hæc & maxima gloria nobis.
Semper erit, Divæ pignus servâsse benignæ.
Cûi vos Pierides citharîs, lituisq;, tubisq;
Psallendo, resonos date cum modulamine cántus.

Cántus Musarum cum Choro.

1. Dea Fortuna,
Tibi nos unà
Voce svavis oris,
In signum honoris,
Parnassi Camænæ,
Cantamus amænè
Applausus.

2. Es namq; digna
Dea benigna,
Nostrûm pio cultu,
Quòd sereno vultu
Faves, & Cultores
Moves, lætiores
In ausus.

3. Tu tu Regnatrix,
Atq; Beatrix
Mundi nuncuparis,
Et semper amaris,
A populo toto,
Numini devoto
Prænestis.

4. En Polycrates,
Cum cantu grates
Referens, honorat
Te Divam, & orat
Quatenus favorum,
Æternus, tuorum
Sit testis.

G E N I I
Sensum Actus 1mi versu Polonico sub figura fallacis Mundi Explicantes.
INTERMEDIUM

ACTUS

ACTUS II.
SCENA I.

PRoceres Samiorum pullatus adit Legatus denuntians eis mortē Æacis Regnatoris ipsorum, qui post factam condolentiam, consultant de eligendo alio, sed ob dissonum animorum sensum rebus infectis ex Senatu abeunt. quibus obvia Ratio Status, suadet hanc electionem committendam esse Sortibus, sive Fortunæ, quod utiq; acceptant, sed in diem sequentem Actum Electionis differunt.

Legatus. Supremi Proceres Regni, Frons prima Virorum,
Primores Gentis Samiæ, venerande Senatus.
Turbatis video mentes, multumq; stupetis,
Me dum pullatum vobis adstare videtis
Legatum. stupor hic meritò vos comprimit omnes,
Namq; nihil læti, sed lethum defero triste.
Non hilarem sono rumorem, sed fata dolenda
Regnatoris nostrûm, nimirum Æacis almi.
Jam Sol hic Regni velatus nubibûs atrîs
Optatum lumen non sparget, quem nigra Clotho
Non adeò pridem fatalibûs obruit umbrîs.
Credatis vera hæc, Legatus quæ modò dixi.

Senatores.

1mus. Immortales Dii! quæ tanta licentia Mortis!
O Superi! Dominis cur Parcæ parcere nolunt?
Ah ingens clades! ah quid nisi summa resultat
Pernicies nobis orbatis Principe summo.
2dus. Clausit in æternam noctem sua lumina Princeps?
O! utinam tali nunquam rumore fuissem
Territus! o satius priùs hìc mihi funus adesset,
Audissem nostri quàm funera Principis. *3tius.* Hêu! hêu!
Quid tandem fiet, cum Princeps desiit ille
Vivere, quo vivente satis bene Patria vixit.
Vita fuit nostrûm vitalis spiritus ejus.
4tus. Eheu! jam vocem lachrymîs introrsus obortîs
Devorat ipse dolor, crudescit pectore vulnus.
O Libitina ferox! o crudelissima fata!
Hic per vos cecidit, per quem Respublica stabat
In florente statu. ah casus grandisvè gravisvè!
1mus. Jam nequit hæc aliter clades repararier unquam,
Ille Monarcha nisi regnet, qui læsa dolore
Corda sciat sanare, cui per vota favete,
Ut Viduum scandatq; Thronum, Sceptrumq;, Mitramq;
Electus capiat. quare jam scribite vota.
1mus. Quem mea charta refert hunc eligo jure Monarcham.

2dus

Indeq; conjicias prout exardeſcimus omnes
Pectoribûs gratîs, erga te ſplendide Phæbe,
Cujus inocciduum ſit lumen, corde precamur.
Polyc. Ut regimen populi, faſces, Sceptrumq; Mitramq;
Ut voſmet Proceres, cùm totius agmine plebis
Suſcipio lætus, pariter ſic vota fidemq;
Accepto, veſtris cum plauſibus. inſuper addo:
Me fore præſidium vobis per tempora vitæ.
Interea dapibûs refici deſcendite mecum.

SCENA IV.

ASſidentes opiparæ menſæ in Aula Polycratis Proceres, non ſolùm ſapidiſſimîs eduliîs verùm etiam Muſicorum inſtrumentorum concĕtibûs, & variîs ſpeciminibûs recreantur. Deniq; Polycrates gratiâ majoris capiendæ voluptatis, divertit in Chloridis Hortum.

Polyc. Vivat cognatus felicia ſæcla Senatus.
1mus. Quot recipis Cives, annîs tot vivito dives.
2dus. Vivat inoffensè Princeps gravis hoſtibus enſe.
3tius. Noſtri Sol Cœli vivat precor ore fideli.
4tus. Vivat in æternum dans Princeps dulce falernum.
Polyc. Non ſatis eſt horum, non ſufficit iſta voluptas,
Sed placet, ut Floræ florum redolentis odore,
Deliciîs utamur amænîs, dum favet aura,
Dum ſine nube diem, peramici luminis Author
Diffundit meliore coma, sêu crine repexo.
Dum violas puerîq; legunt hilareſq; puellæ,
Prataq; pubeſcunt variorum flore colorum.
Ergo florigeræ ſpecioſum Chloridis Hortum
Ipſe petam, modò vos Comites ſtipetis euntem.

SCENA V.

VEniens in Hortum Polycrates, ſalutatur à Chloride, ubi & ſuave olenti florum fragrantia, & aquæ ductu mirificè de ciſterna in altum proſilientis recreatus, ſoporatur placidiſſimè in florido lectulo, accinentibûs ſibi aviculîs.

Chlor: Quis novus hic noſtris ſuccedit ſedibus hoſpes?
Quem Majeſtas, quem virtus, quem mira venuſtas,
Non hominem, potius dicit Genus eſſe Deorum.
Polyc. O Dea! cûi Zephyrus dotales tradidit Hortos.
Floribus & placidis dominari fecit in ævum,
Frondiferaſq; domos avium, campoſq; virentes,
Jupiter omnipotens cui commendaverat olim.
O Dea! quam venti fugiunt, & nubila Cœli,
Et glacialis hyems, & nix, & frigora ſæva
Horreſcunt. aperis quæ Mundo tempora læta,

Exhi-

Exhilarans animos ſemper novitate recenti.
Te modò te placuit nobis, inviſere lætam,
Poſt oris paſtus, ut pectora paſcere dones
Deliciîs Horti. *Chlo.* Sed ſupplico dic: quis? & ùnde
Sis? & quem venerer de nomine, quemvè ſalutem.
Nonne Poli Civem? *Poly.* Mihi ſcito Polycratis eſſe
Nomen, qui moderor Samiorum Gentis habenas.

Chlor. O ſors magna mihi! tanto quòd Principe poſſim,
Intra floriferi ſeptum gaudere vireti
Ingredere, ingredere hoſpes, jam tibi porta recluſa,
Nam te delicias Orbis, bene quadrat adeſſe
Horti deliciis, flores à flore juventæ
Grande nefas eſſet noſtros avellere velle.
Ingredere invito, via ſe tibi pandit in Hortum.
Lilia, narciſſi, violæ, tum tulipa flavens,
Purpureæq; roſæ reſerantes ora, ſalutant
Te decus eximium volucres lætum Tibi ſalve
Dicendo, reſonîs concentibûs àëra mulcent.
Leniùs eccè modò ſpirant Zephyri, atq; Favonîi,
Qui mea laſcivo regnant per prata volatu.
Et Fons hortenſis magis exhilarante ſuſurro
Te veniente ſalit, tum ridet amænior Hortus;
Per quem tu Princeps, animô ſpatiare ſerenô,
Deliciîſq; meîs avidum cor paſce ſalubris.
Paſce prout ſatis eſt, nec enim tibi denego quidquam.

Polyc. Purpureîs redimita roſîs, florum Dea Chloris,
Æterno voveo Tûi nomen vernet honore,
Quòd faciles aditus conceſſeris, in tua Regna.
Sentio vere novo mihi refloreſcere pectus
Floribus in mediis; quorum perfundor odore.
O felix! o blanda! meæ recreatio mentis.
O flores! flores! quàm dulces fertis odores.
Hìc ego depoſitus vellem requieſcere ſemper,
Hìc mea paulìſper patiaris membra locari,
O Dea grata nimis. *Chlor.* fiat tua plena voluntas.

G E N I I
Senſum Actus 2di verſu Polonico ſub figura fallacis Mundi
Explicantes.

Continuatio Intermedii.

ACTUS III.
SCENA I.

SEdens in Throno Polycrates gloriatur, quòd favente ſibi benigniſſimâ Dea Fortuna (cujus non tam Alumnus, quàm partus appellatus

tus

tus est) nihil hactenus adversi noverit, nec aliquam possit subire mæstitiam animi, in cujus rei experimentum, resolvit se annulũ ingentis pretii, sibiq́ maximè acceptatum, profundis aquarum injicere vorticibus, qua de causa progreditur ad mare.

Polyc: O cedris sculpenda dies! o gemma dierum!
O nimium felix! niveoq́; notanda lapillo
Hora fuit, quâ me Fortuna recepit Alumnum,
Connubioq́; sibi voluit sociare jugali.
En me larga beant Prænestis munera Divæ,
Quæ cor cunq́; cupit, quæ mens animusq́; requirit,
Omnia, Fortunæ subitô veniunt mihi nutu.
Si cupiam nummos, sunt his æraria plena.
Si Victor fieri volo, dat Fortuna triumphos.
Gaudia siq́; velim, tribuit sors gaudia Cordi.
Siq́; honor expetitur? sum Princeps, quæris amicos?
Tempore felici, multi numerantur Amici.
Porrò sum felix, quô non felicior alter,
Sum fortunatus, sum terq́; quaterq́; beatus.
Sum felix, quis enim neget hoc? felixq́; manebo,
Hactenus ignorans, quid sint adversa malorum.
Hinc nihil optandum superest, nisi causa doloris,
Mærorisq́; alicujus, noscam ut quid valet angor,
Cujus materiam citiùs mihi nil dare posset,
Quàm poterit dare, solus & unicus annulus iste,
Non solùm dextram, sed cor Regale coronans,
Lætitiæ objectum, centrum totius amoris.
Hunc hunc ergo vadis Pelagi submergere vadam,
Ut vel in amisso valeam reperire dolorem.

SCENA II.

SIstens in littore Jonii maris Polycrates, salutatur à Neptuno, qui etiam Sirenes in applausum ejus modulari jubet. Inter hæc gratiâ comparandi alicujus in vita doloris ex amissione acceptatissimæ rei, projicit annulum in profundum Maris, & abit.

Neptu: Quis venit in nostrûm fluidi confinia Regni?
Polycr: Hospes ego novus. *Neptu.* Hìc Etymon tui nominis effer.
Polycr: Nosce Polycratis, Orbi notum, quòd gero nomen.
Neptu: Primò cognosco, ast pridem reverenter adoro
Te Princeps, quem ipsum Numen Prænestis honorat,
Et variîs donîs cumulat Fortuna Beatrix,
Publicus ut rumor sonat hoc, terrâq́; Mariq́;.
Ad nostros igitur quando te cerno Penates
Neptunus Pelagi Rector, lætum tibi salve
Ingemino lætus. Plausus cum cantibus altis
Vos etiam blandæ Sirenes voce sonora

Edi-

Edite, namq; ſuò Princeps hic dignus honore.

Cantus Sirenum cum Choro.

1. *Hoſpes, immenſi veniens ad undas*
Æquoris, cernis velut has profundas,
Crede ſic omnes humiles manere,
Nos tibi verè

2. *Crede ſubmiſſas (maris alto quanquam)*
Eſſe ſirenes tibi corde, tanquam
Principi ſummo ſamios regenti,
Huc venienti.

3. *Cùi damus plauſus modò voce lentâ,*
Inter effuſi Pelagi fluenta,
Et ſimul grato recitamus ore,
Vota ſonorè:

4. *Aurifer Ganges locuplete venâ,*
In domûs poſtes fluat, hìc arenâ
Gemmeâ ditans habitaculorum
Tecta tuorum.

Polyc: Jam plauſus hilares, hæc jam modulamina ceſſent,
Mærorem volo piſcari, non gaudia mentis.
Quare permittas ampliſſime Rector aquarum,
Annulus ut fundum teneat, quem trado procellis.
Hinc ſaltim ſperans agitandam fluctibûs eſſe
Lugubribûs mentem, quam ſemper gaudia tollunt.

Neptu. Appretias noſtrum quo Princeps munere Regnum,
Non illud citra ſortem rehabere licebit,
Emergit nunquam, his quidquid ſubmergitur undis.

SCENA III.

INjectus nuper æquoreis undis annulus Polycratis, ſorte in piſce ad Culinam allato invenitur, & inde exemptus offertur Polycrati, quô receptô inſolentiùs gloriari incipit, totiq; Ditioni ſuæ Deam Fortunam ſpeciali cultu adorare præcipit, quod ſummè in ſe effuſam agnoſcat. Sed cùm ipſe Polycrates offert thura & litat Victimas Fortunæ, illa vultum furibundum & iratum minaciter oſtentans, ſpernit omnia & fugit ſequentem ſe Polycratem.

Præf: Cul: Sis Princeps voveo diuturno tempore ſanus,
Et mihi, pacatas aures concede, loquenti,
Ut referam quædam. *Polyc.* liceat tibi promere verba,
Auſcûltabo libens ſermonem. *Præf:* mira relatu
Res, quia ſe piſces modò fulgidiore metallo,
Et gemmîs paſcunt pretioſîs in Maris alto.
Experti ſumus id, diſſecto piſce Marino
In cujus fuerat latitans abdomine ventris
Annulus auratus, gemmæ candore coruſcans.
Qui prout exſuperat pretium, ſic jure ſupremo
Debetur Domino. *Polyc:* ſi me non fallit imago,
Fors ego conſimilem ſepelivi gurgite vaſto
Æquoris Jonii; quinimo circulus ipſe
Exactè digito reſpondens, dicit apertè
Non alium, niſi quem projeci nuper in undas.
O nimiùm Fortuna favens! o prodiga rerum
Sors Mundi! quàm te conſtantem quàmvè fidelem
Nunc mihi præſtiteras, & firmiter eſſe probâſti,

Cum rursùs tuleris, quòd in alto gurgite Ponti
Perdideram, sed spontè; volens hac arte perennem
Fortunæ tentare fidem, tentare favores.
Cujus firma satis mihi jam constantia constat,
Jamq; probata fides, exploratiq; favores,
Pro quibus affirmo, fore me memoremq; piumq;.
Unde statim Samiæ Genti demando severè,
Semper Fortunam curet reverenter habere.
Propitium nobis Numen, specialiùs oret.
Pyramides, Arcus, Obeliscos, Templa, Colossos
Exstruat; hincq; Diis majora libamina reddat,
Qualia, primus ego Fortunæ reddere pergo.
O Dea larga nimis! tu jure mereris, ut istis
Plena tot, ac tantis referatur gratia factis.
Hanc refero primus. sed quid furibunda minaris?
Vel non thura placent? cur respuis hæc pia dona?
Quæ longè majora tuo sacrantur honori.
Siccinè te nobis aufers Fortuna fugisve?
Ah Dea ne fugias! precor & ne linque sequentem.

SCENA IV.

Querulatur Polycrates cur sibi sit irata Dea, quæ inter querulos illius discursus subordinat clanculò casum sive Vicissitudinem, ut ipsum, de solio proruat: quod fit in instanti. Hoc videntes Amici, & Ministri, fugiunt, deseruntq; Polycratem in mediis malis, quē Honor, cunctis insignibus spoliat; Copia vestibûs & cimeliis privat; Miseria pannuciô vili induit, Ignominia fune & compedibûs onerat, Adversitas ad palum invitat.

Polyc: Heu! heu! quis valeat justam producere causam
Tàm subiti motûs improvisiq; furoris
Fortunæ, quæ jam Cultorem spernit & odit
Fædus amoris jàm violat, jàm vincula rumpit,
Eripiendo se manibus per fortia nostris.
In quo demerui? quo crimine lædere Divam
Incautus potui? quâ vel face pectus in iras
Fulmineas accendi? (cùm nisi thura cremavi)
Ignoro penitus. me tantùm dicere possum
Non meriti pœnam perferre, ast Numinis iram,
Quæ tandem poterit paulatim lenis haberi.
Hinc non prorsus adhuc dejecta concido mente.
Proderit afflictis melius confidere rebus.
Forsan enim mecum ludens Fortuna jocatur.
Hanc nec fallacem, nec quando spero dolosam.
O Superi! Superi! Superi! fulcite cadentem;
Ah quid de summo Solio me trusit ad ima?

Ne-

Nescio quis Casus istius Fons & Origo
Ah! ah! fortè Deæ Fortunæ techna dolusvè.
Factum quod quondam fieri non posse loquebar,
Illo nec levius cecidi, quem magna locutum
Reppulit à Thebis, emisso Jupiter igne.
Honor. Quos Fortuna dedit per me tibi reddito fasces,
Redde Mitram, Sceptrum, nec non Insignia cuncta.
Nôsse quod expediit, noscas illudq; memento,
Nempe; dat & quodcunq; libet Fortuna rapitq;.
Copia. Murice purpureo, textìs & vestibûs aurô
Induerat Fortuna tuos versuta lacertos
Me mediante, sed hæc quoq; me mediante Ministra
Cunctîs te spoliat; demonstrans quomodo dives
Indigus esse potest subitò, pauperq; manere.
Mise: Vilia pro tumido ornatu pannucia sumas.
Igno: Compedibûs rigidîs vinclîs & funibus arctis,
Vincio Victorem, devictum sorte maligna.
Adver: Quem Casu Fortuna gravi dejecit ab alto,
Nunc ego te rursus celsa super auge locabo
Invito, properes altum conscendere palum.
Polyc. Hei mihi! quàm rabidè rodor mordente Cachinno,
Fortunæ fidi non sic tractantur Amici.
Hei mihi! quò rapior non sic non, itur ad alta,
Non ita speravi me sursum posse levari.
Hei mihi! quò rapior, cujus violentia fati
Tollere me tentans, allidit rupibus ossa.

SCENA V.

Fortuna malis rebus Polycratis insultat, & verba, quibus felicem se jactabat, majoris gratiâ contumeliæ ingeminat. Deniq; Afflictioni tradit eum, qui deplorat infelicitatem suam resonante Echone, & Fortunæ inconstantem constantiam canit lugubri Nænia. Ad extremum raptus ab Oronte Darii Duce calamitosè tractatur, & perit infelicissimè.

Polyc: Eheu me miserum! qui tot tantisvè ruinis
Obrutus hic jaceo, magis ex post sorte premendus.
Eripiat qui me de tanta strage malorum,
Nullus adest, o quàm longè fugistis Amici!
Cum feriunt unum, non unum fulmina terrent.
Favistis video, sed nonnisi sorte favente,
Dum fera terribili vexat Fortuna tumultu,
Vertitis ora procul, me solum linquitis, hêu! hêu!
Turpe referre pedem, nec passu stare tenaci.
Expertus dico nemo est in amore fidelis.
Eheu me miserum! quid agam quid me manet ultra.

Fort: Nonnè vides, ut noſtra tibi clementia prodeſt
Plura feres, quàm ſunt hæc, quæ tu damna tuliſti.
Polyc. O Dea! cur adeò ſævis? cur plura minaris,
Nec mala te reddunt mitem, placidamq; jacenti.
Exigis indignas Ultrix Rhamnuſia pœnas,
Nil ego peccavi, niſi ſi conceſſa Clienti
Munera, crimen habent? *Fort.* certè ſperare decebat,
Nubila poſt ſudum, poſt lucida fulgura fulmen,
Poſt plauſus planctus. triſtes poſt gaudia luctus.
Felicem nuper quô non felicior alter,
Et fortunatum te perpetuoq; beatum
Jactâſti repetens : *Sum felix atq; manebo*
Sum felix! quis enim neget hoc, adverſa malorum
Quid ſint? ignorans. ergo nunc talia diſce.
Proficias ut in his melius, ſapiaſq; caduca
Munera Fortunæ, quòd ſint, aget ecce Magiſtram
Corpora verberibûs pulſans Afflictio dira

Polycrates.	*Fortuna.*
Siccinè me tractas?	Aliter non eſt mihi moris.
Hæc ne ego promerui	Sic fido ſolvo Clienti.
Ah malè compenſas!	Hæc eſt mea maxima Virtus.
Fallere velnè licet?	Fas eſt mihi fraudibûs uti,
Ergo peribo miſer?	Jàm felix eſſe nequibis

Sed mox concuſſus crudelia fata ſubibis.
Polyc. O utinam! blando cùm me ſermone vocares,
Mors inopina meos tardâſſet ad oſtia greſſus,
Turpius expungis, quàm non inſcribis amantem.
Unum in me ſcelus eſt, quòd te ſcelerata recepi
Jura, fides, ubi nunc? commiſſaq; dextera dextræ?
Promiſſus Socios ubi nunc Hymenæus in Annos?
Sæpe fui mendax pro te, quia ſæpe putavi
Te non mendacem. Scio nunc quàm ſit tua ſemper
Vox fœcunda operum, pulchræq; accommoda fraudi.
Sic indulgebas, magis ut me lædere poſſis.
Namq; modò armatâ flammis, tædaq; minaci
Mille faces evibras, & mille ignea figis
Tela manu, transfixæ hærent, in corde ſagittæ.
Jamnè fugis? per ego has lachrymas, dextramq; tuam, te
Per connubia noſtra, per incæptos Hymenæos.
Oro: reverteres; & inflicto medeare dolori.
Fortu: Supprime jam lachrymas, non ſum remeabilis unquam.
Polycr: Ergo crudelis noſtro Fortuna dolore
Paſcere, tu ſatiaq; meo nunc pectora luctu,
Corq; ferum ſatia, Conſorſq; inimica triumpha.
Ah ah! ſum quid ego modò quid fueram? quid eroq;.

Im·

Imposuit me alto Fortuna locumq; tenere
Jussit honoratum; mihi conciliavit Amicos
Adauctis opibûs, momentô cuncta recepit.
Fortunæ utebar spirantis leniter aurâ
Sed subitò fallax vultum mentita recessit,
Atq; fragore tonans, artus trepidare coëgit
Necnon præcipitem insperato fulminis ictu,
Me deturbavit, supremæ sedis ab auge.
Non sum qui fueram, non Princeps, non quoquè dives
Sum, non sum felix, homo sed miserabilis adsum.
Si me nunc videas, visum priùs esse negabis. *Echo.*
O mea vita prior, rursus potes annè redire? *Diræ.*
Diræ me vexant miserum nimis ecce cruentæ *En Te.*
Ente novo; à pœna ista me facisnè repressum? *Pressum.*
Pressum tàm strictè, num tristia funera tollent? *Tollent.*
Tollent? ah quid agā! cùm non mea vita redibis, *Ibis.*
Ibis at in mortem, confidens sortis amori. *Mori.*
Non est, qui nostras æqua bibat aure querelas
Sola pia est mecumq; gemit resonabilis Echo.

Oront: Tu quis es? enarra pariter quo nomine gaudes!
Dicito; *Polycr:* sum Samius nomenq; Polycratis (Orbi
Sat notum) gero. *Orontes* Te multîs quæsivimus annîs
Nunc tandem rapidos gressus bene vertit Olympus,
Et Fortuna graves nostrûm miserata labores,
Annuerat votis quærentûm, favit Oronti,
Cùm non sperato casu, te intrusit inermem
Ultrici manui, cujus mox spicula sumes,
Tractandus rigidè, velut impius, improbus, atrox,
Oppressor populi, Cruciator, tumq; Tyrannus.
Eja ferox Miles captivum ad funera rapta!
Ocyus hic pereat, fiatq; volucribus esca
Per quem non unus periit. sic jura requirunt.

Miles. Vir scelerum passu celeri quæsitus adesdum?
Accelera pænæq; locum pete, te vocat atra
Crux, infame genus mortis cum funere tristi.

Polycr. Ah à quo pro quo ferior! quis vulnerat artus?
Nonne sat afflictum me cernis barbare tortor?
Si te non movet hæc rerum Fortuna mearum,
Natus es è scopulis, nutritus lacte ferino.
Proh dolor! ah pereo, telîs confixus iniquîs.
Exitus ostendit, quò Mundi gloria tendit.
Quàm Rota Fortunæ sequitur vestigia Lunæ.
O! Fortuna potens, quàm variabilis,
Inconstans, fragilis, perfida, lubrica,
Nec servare potes muneribus fidem

 Nec

Nec quos clarificas perpetuò foves. Virg: de Fort.

GENII

Sensum Actus 3tii versu Polonico sub figura fallacis Mundi Explicantes.

Continuatio Intermedii.

EPILOGUS.

JAm tandem patuit, quàm scitè perfida possit,
Uno momento fallere mille modîs
Deceptrix Fortuna Viros; quêis blanda favere
Se simulat, quos aût fidere gnara sibi.
Jam Mundi patuêre doli, fraudesq; nefandæ
Drammate productæ, jam patuêre modò.
Felix, quem facient aliena pericula cautum,
Felix, qui Mundum temnere discet abhinc.
Infelix casus, docet, iste, Polycratis, omnes,
Quòd sit Fortunæ non tribuenda fides.
Et cum jam patuit, potuit quod nostra Pòësis,
Demonstrare sua Drammatis arte palam.
Unde nihil restat, nisi justas reddere grates
Hospitibus gratis, quòd subiêre moram.
Ergo spectator titulîs venerande serenîs
Grates cum cultu suscipe; sisq; diu
Prosper & incolumis. Sortis variatio nulla
Sit Tibi. Corde pio Musa Tragæda vovet.

SENTENTIÆ

De Inconstantia Fortunæ.

Nulla sors longa est, dolor ac voluptas
Invicem cedunt. brevior voluptas. *Sen: in Thyest.*
Fortuna opes non animum auferre potest. *Idem in Medea.*
Nemo confidat nimium secundis. *Seneca.*
Brevis est magni Fortuna favoris. *Silius Lib: 4.*
- - - - - - - dicisq; beatus.
Ante obitũ nemo supremaq; funera debet. *Ovid: Lib: 3. Metamor:*
Tuta petant alii, Fortuna miserrima tuta est.
Nam timor eventûs deterioris abest. *Idẽ 1. de Pont: Ele: 2da.*
Desinat elatis, quisquam confidere rebus. *Claudian: Lib: 2do.*
Prospera cuncta tibi Princeps promittere noli,
Lubrica Fortuna est, vitrea, vana, levis. *Theatr: Polit.*
O miseras hominum mentes! o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ quantisq; periclis,
Degitur hoc ævi, quodcunquè est! *Lucreti9 Lib: 2. de rerũ natura*
Nihil est ab omni
Parte beatum. *Horat: Lib: Odæ 16.*

Vera felicitas eſt, ſervire DEO.

Jugera non faciunt felicem plurima quenquam,
Non Tergeſtini dulcia muſta Soli.
Non Tyriæ veſtes, auri non pondera flavi,
Non Ebur, aût gemmæ, non juvenile decus.
Et non divitiæ, vel honor, vel blanda voluptas,
Non tenuiſſe ſua Sceptra ſuperba manu.
Noveris & rerum cauſas licèt, Aſtra Poliq́;,
Et noſtro quidquid ſub Jove Mundus habet.
At mea ſi quæris, quæ ſit Sententia? dicam:
Hìc ſi vis felix vivere, vive DEO.

In idem.

Si tibi pulchra Domus, ſi ſplendida Menſa, quid inde?
Si ſpecies auri, ac argenti maſſa, quid inde?
Si tibi ſint nati, ſi prædia magna, quid inde?
Si fueris pulcher, fortis, diveſq́; quid inde?
Si longus ſervorum inſerviat ordo, quid inde?
Si doceas alios in qualibet arte, quid inde?
Si faveat Mundus, ſi proſpera cuncta, quid inde?
Si Prior, aût Abbas, ſi Rex, ſi Papa, quid inde?
Si Rota Fortunæ te tollat ad Aſtra, quid inde?
Annos ſi felix regnes per mille, quid inde?
Tàm citò, tam citò, prætereunt hæc, ut nihil inde?
Sola manet virtus, quâ glorificabimur inde.
Ergo DEO ſervi, quia tot tibi provenit inde.
Quot feciſſe voles in tempore, quo morieris.
Hoc facias Juvenis, dum corpore ſanus haberis.

Ex Libro intitulato Itinerum Deliciæ.

Fruſtra fidis imagini
Fortunæ celeri quæ cadit impetu,
Et vix exoritur favens,
Obſcurum ſubitò vergit ad Heſperum.
Felix qui fragili procul
Fortunæ inſtabilis cedis ab eſſedo,
Et ſpem votaq́; collocas
In clemente DEO. ſolus enim DEUS
Verus Fons Opulentiæ
Quidquid Mundus habet ſtercus id æſtima. *Neóter.*

CHRISTUS, NON MUNDUS AMANDUS.

Et tibi quærendi quod ames labor omnis ademptus:
Chriſtus amandus & Hunc præter amare nefas
Formoſum quæris! nihil eſt formoſius Illô:
Moribûs inſignem? Solus at Ille bonus:

 Im-

Immensum-nè opibus? nihil est opulentius Illô:
Munificum? dotes prodigit ille suas:
Ductorem? Dux est: Regem? Rex: quæris Amicum
Qui redamet? redamat, quin amat ille prior:
An Patrem? Pater est: Pastorem? Pastor & Ille:
An Sponsum mavis? Sponsus at Ille tuus.
An Fratrem? Frater: Comitem? Comes annè fidelem?
Esse vel ipsa fides non magè fida queat.
Præsentem? præsens: Constantem? non ita constans
Rupes, quam Siculi verberat unda Maris.
An placidum? blandus: jucundum? est ipsa voluptas:
Si pateris; tecum qui patiatur habes:
Doctorem? omnis ab hoc manat sapientia fonte:
Sollicitumq;? preces prævenit Ille tuas:
Vulneraq; & morbos curantem, sangvine Morbos
Atq; suîs curat, vulnera vulneribûs
Quod si fortè cadis, cadis inter brachia amantis,
Pulvinar Capiti subjicit Ille manum.
Si fles, ille tibi rorantia lumina siccat
Et mæsta Ambrosiis oribus ora premit
O felix oculus portum visurus amantis!
Scilicet in lachrymis naufragus ipse suis.

Ex Palat: Reg: Eloqu.

CONCLUSIO.

O DEUS! immensæ Bonitatîs Fons & Origo
Fac me Te solum corde sitire pio
Nam si te sitiam remanes Qui dives in omnes
Nulla meum poterit cor cruciare sitis
Largifluo famulum conspergas rore favoris
Daq; Tibi tantùm vivere tumq; mori.



